



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 183. Epistolæ Callisti Papæ ad Francorum Regem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CLXXXIII.

Sæcul. XV.

A.C. 1455.

*Epistolæ Callisti Papæ ad Francorum Regem.**Collect. Conc.
Labbe to. 13.*

Callistus Papa suscepto Pontificatu paulo post ad Galliarum Regem tres dedit Epistolas, in quarum prima die octavo Aprilis ejusdem anni data hæc ad Regem perscripsit: *Venerabiles Fratres nostri nos in summum Pontificem elegerunt, grave onus & nostris viribus impar, nostris humeris imponentes, confisi tamen, ut is, qui elegit humiles, ut fortia confunderet, vota nostra adjuvando prosequatur. Suscepimus onus, ea etiam spe nos hortante, quod tuæ pro nobis ad Altissimum preces auxilium ad regendum apud Salvatorem nostrum impetrabunt. His præmissis deplorabilem Christianæ Reipublicæ a suis hostibus oppressæ statum exponit, Regemque hortatur, ut sua ceterorum Principum armis jungeret, ac non modo a civitate Constantinopolitana, sed etiam a finibus Europæ Turcas penitus expelleret. Subjungit, Bullam plumbeam sine impressione nominis nostri esse præsentibus appensam tuæ sublimitas non miretur, eo quod ipsas literas ante accepta coronationis nostræ insignia ducimus transmittendas. In altera Epistola fidem ac Regis obsequium erga se, & erga ipsam Sedem Apostolicam commendat. In tertia demum, quam die prima*

prima

Sæcul. XV.
A.C. 1456.

prima Maji anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto dederat, gratias agit, quod Rex permiserit, decimam in subsidium exercitus contra Turcas in Regno suo exigi.

§. CLXXXIV.

Dissidia inter Sigismundum Austriæ Ducem, & Cusanum Cardinalem.

Dupin. Bibl.
Script. to. 12
in 4to.

Dupinus ad hunc annum revocat initia contentionis, quæ inter Sigismundum Austriæ Ducem Tyrolis Comitem, & Cusanum Cardinalem ob jurisdictionis exercitium in Brixientem Dioecesim huic Cardinali interdictum exorta fuit; nihilominus hanc litem jamjam ineunte hoc anno exarsisse affirmamus, cum Ducem a Nicolao V, qui mense Martio obiit, in jus vocatum sciamus. Erat autem hæc simultatum origo. Vacabat Episcopatus Brixientis in Comitatu Tyrolensi, unde Ecclesiæ Cathedralis Canonici Episcopum crearunt Leonardum Wismaierum Sigismundi Tyrolis Comitis Cancellarium. Hunc Nicolaus Pontifex confirmare detrectans, biennio post Cardinalem de Cusa in ejus locum substituit. Sigismundus nulla Cardinalitiæ dignitatis, nulla etiam Sedis Apostolicæ habita ratione Cusanum per satellites suos vi abductum arctæ